UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Henrici || Svsonis Viri Sanctita-||te, Ervditione Et Mi-||racvlis Clari, Opera

Seuse, Heinrich

Coloniae, 1615

De artificibus mechanicis. Capvt XIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38029

Visual Library

ſpicit, iiſdem eum muneratur, expletque eius deſiderium præſentis vitæ bonis temporalib⁹. Sed periculoſiſſima eorum conditio eſt, qui in rebus præſentibus ac temporarijs ſua captant & conſtituunt oblectamenta. H. Miſerere Deus piiſſime Eccleſiæ tuæ.

De artificibus mechanicis.

Caput XIX.

Deus: En quam periculoſam degunt modò vitam artifices mechanici, quanta eos auaritia occupat, quantoperè eis ſe æquiparare conantur, quibus eos diuina lege ac ordinatione, atque ob timorem Dei oportebat eſſe ſubiectos? Anteactis ſeculis mechanici animo humiles ac ſimplices erant, eãdemque modeſtiam ac ſimplicitatem etiam veſtibus & vita ſiue conuerſatione præ ſe ferebant. Denique in cunctis actionibus & operibus ſuis vſqueadeò pij ac religioſi erant, vt magnam Dei amicitiam ac familiaritatem experirentur. Nunc vero intantum ſuperbia efferuntur, atque ordinis ſui excedunt limites, vt nulla in ratione Deus commorari queat. Siquidem in ſuperbis nunquam Deus omnipotens habitare dignatur. H. Obſecro Domine Deus meus, horum te tangat miſeratio. Equidem putabam homines eos eſſe ſimplices admodum. D. Opera ſua nimis carè vendunt, alijque alios eo incitant, vt magnum exigant precium, odioq; & inuidentia ſeſe inuicem multis modis proſequuntur, & aliorum operibus alij derogant,

eaque

eaque vilipendunt. H. O miſericors Deus, miſerere Eccleſiæ tuæ.

De Ruſticis.

CAPVT XX.

DEvs: Ruſtici quoque hoc æuo procelloſo ac luctuoſo in pagis inſtar pecudum omnis diuini timoris expertes viuunt, neglectiſque bonis ac honeſtis moribus, ſua pro viribus libidini obſequuntur, planeque verſipelles ac ſuperbi, animoq́; & corde maleuoli ac maligni effecti ſunt, atque ita hoſtes Tartarei tota virtute eis dominantur, eoſq; occupant. Sane niſi amicorum ſuorum precibus Deus præpediretur, ob nimiam eorum improbitatem longè ſecus eos tractaret. H. Piiſſime Deus, ſi qua precum mearum eſſet efficacia, ſi te obſecrarem, illis vt parceres. D. Equidem eorum mores ſuſtineo quoad poſſum. Sed tandem compulſus, cunctá eorum peſſum ire ſino. Priſcis temporibus tanta in eis probitas, ſimplicitas, modeſtia viſebatur, vt Deum admodum propicium & benignum haberent. H. Non habeo quod dicam Domine, niſi vt ob bonitatem tuam miſerearis Eccleſiæ tuæ:

De Fœminis ſecularibus.

CAPVT XXI.

DEvs. At nunc Fœminæ quo prolapſæ ac deuolutæ ſint, earumq́; pudor ac verecundia quo relegata ſit, videas. En vt omni

timor